



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Tempestatis mutatio & arcana.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

PERSEPHONE SIVE PROSERPINA.  
SEMINUM VIRTUS ET GENERATIO.  
CAP. XXXVI.

**S**eminum virtutem & gignendi vim, quæ potissimum in terra est, veteres muliebri forma germina quædam protendentem pinxerunt, hancq; imaginem bonam Deam vel Persephonem appellarunt: semen non ante geminare significantes, quam in terram projectum aliquandiu ibi latuerit.

*Ideoq; à proserpando dicta quia semen per terram serpat, sitq; Cerevæ filia.*

DIONYSIUS.  
PROMISCUA GIGNENDI VIRTUS PLANTARUM  
CAP. XXXVII.

**Q**uoniam verò plantæ non solum ex semine, verum etiam quædam ex furculis plantatis nascuntur, hanc promiscuam gignendi vim, sub Dionysii imagine expresserunt, quem muliebri forma & cornua habentem pingebant.

*Idoq; sepulchro ac integer reviviscit propter plantas è propagibus ortus.*

JUNO.  
QUATUOR ELEMENTA. CAP. XXXVIII.

**I**uno catena de celo ab Jove suspensa, & lapides pedibus alligatos habens, ab Homero fingitur, ita ut unius pedem contrariorem habeat altero; quæ imago quatuor elementorum symbolum est. Juno enim ipsa ærem significat. catena ignem quo cætera colligantur atque nascuntur, lapis altiori pedi appensus, aquam, alter verò terram: quæ omnia Jupiter, quem cæli rectorem significare volunt, ita cælo alligavit, ut ex illo pendeant, ipsiisque, qui cælum movet, nutu gubernentur.



*Elementorum hieroglyphica figura. Iliad. 9. Hinc Orph. in hymno Junonis. Aëriam cœlestis faciem Juno.*

TEMPESTATIS MUTATIONEM.  
ET ARCANA TEMPORE PATEFIERI.  
CAP. XXXIX.

**E**adem Juno nubibus undiq; septa, ita ut vix cerni possit tum mutationem tempestatis (cum Juno æris symbolum sit) tum res alta vultus caligine mergas, aut alioqui obscuras absconditasque, quas tamen tempus patefaciet, tum temporis breviter significat.

*Hinc En. i. 4. illa. His ego nigrantem, &c.*

SPES FALLAX CAP. XL.

**E**adem quoque Juno ex nubibus ficta, res de quibus agitur fictas, & falsas esse significat, spernq; fallacem: admonetque ut caveamus nobis ab illis oribus, vel ne falso, ut sæpe fit, amore capiamur, nosque sceminis deludendos præbeamus. Ajunt enim, Junonem ab Ixione adulterii sollicita, tam illi corpus ex nubibus sui imaginem præ se ferens obtulisse, eum quo ille jacuerit.

*Plus, in Argide & Cleomene ambitioni tribuit.*

EURO